



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§.5. Igniu[m] monstra clades vaticinantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

## §. V.

*Ignium monstra clades vaticinantia:*

Per elementa quoque monstrosè mon-  
 ritos esse mortales luculentis historijs ac-  
 cepimus. Livio teste, in bello contra  
 Veientes, Manlij prætorium de celo ta-  
 ctum, laceratum fulmine tentorium, euer-  
 sus focus, arma foedata, ambusta ac in-  
 totum contrita: occisus eximius equus,  
 quo in prælijs vti consueuerat. Interroga-  
 ti igitur interpretes prodigiorum, respon-  
 derunt, significare castrorum oppugnatio-  
 nem, & clarissimorum virorum interitum.  
 Cum Hetruscis cruento prælio pugnatum.  
 Q. Fabius, Marci frater, bis consul, &  
 tunc legatus, lancea per pectus ictus inte-  
 rijt. Manlius Consul in clade occubuit, &  
 vallum Romanorum captum est. Ecce,  
 vnum fulmen quot tetigit; vnus ignis quot  
 vssit. In Hiera insoliti noctu ignes exti-  
 tere, interdum fumus velut ex camino red-  
 ditus est. Quid inde secutum? Mota est  
 plerisque Græciæ locis terra; qui motus  
 Lacedæmonijs in Isthmum procedere cu-  
 pientibus, & in Atticam iter instituentibus  
 fuerunt impedimento. Adeò non in mili-

Sab.lib.6:  
 Ennead.3

Iulius  
 Obse-  
 quens c.  
 12, 13, & 14.

O 4

Repu-

Republica per ignes signa dantur. Anno  
 ante Christum natum 460. 461. & 463.  
 antè, quàm ferè Volscorum nomen dele-  
 tum est, & antè, quàm annus tam homi-  
 nibus, quàm pecori longè fuit pestilen-  
 tissimus, cælum ardere visum est plurimo  
 igne, portentaq; alia aut obseruata oculis,  
 aut vanas exterritis ostentauère species,  
 quibus auertendis terroribus, vt post Li-  
 uium scribit Iulius Obsequens, in triduum  
 feriæ indictæ: per quod omnia delubra pa-  
 cem Deum exposcentium virorum, mulie-  
 rumque turbâ implebantur. Animaduer-  
 sumque est sæpius, ingruente bello, peste,  
 aut terræ motu, aut alia calamitate, pro-  
 luuium ignis ex Ætna maius manuisse.  
 Mirum est, à vera religione alienos, ne in-  
 fortunium inuenirent, in fanis suis, & à  
 Dijs falsis auxilium quæsisse; nos autem,  
 quos & Siculi, & alij ignes toties monent,  
 diuinam iram sicut ignem exarsisse, non-  
 dum incendia lachrymis extinguere. Si-  
 cut enim cælestis iræ ignis impietate ac-  
 cenditur, ita fletu & pœnitentia deletur;  
 immo anteuertitur, ne inualescat. Sed stul-  
 ti in cachinos proni malunt lachrymis di-  
 gna facere, quàm lachrymare: quibus di-  
 citur:

Oros. l. 2.  
 Vinc. l. 4.  
 cap. 59.

Psal. 88.  
 47.

aitur: *Va vobis, qui ridetis nunc; quia lugere-  
bitis, & flebitis.* Luc. 6.  
25.

## §. VI.

*Ignis & Aëris alia boni ominis monstra.*

Quia autem prodigiorum quoque, quæ  
secunda acciderant, debita proposito no-  
stro relatio est, siue igni, siue aëri ascri-  
bi potest *felicis euentus illa flamma, quæ ex  
L. Marcij ducis duorum exercituum, quos  
interitus P. & Cn. Scipionum in Hispania de-  
bilitauerat, capite concionantis eluxit. Namq̄  
eius aspectu pauidi adhuc milites pristinam re-  
cup erare fortitudinem admoniti, octo & tri-  
ginta millibus hostium cæsis, magnoq̄, nume-  
ro in potestatem redactis, bina castra Punicis  
opibus referta ceperunt. Ad ignem quoque  
& aërem pariter pertinet, quod Plutarchus  
narrat de Themistocle. Is cum nauali prælio  
contra Xerxem regem pugnaret, flammam  
magno lumine ab Euleusine illuxisse; sonitum  
quoq̄, ac vocem, toto Thriasio agro ad mare  
vsque exauditam esse, velut ex hominibus mul-  
tis mysticum Iacchum educentibus, scribunt.  
Ex multitudine verò vocum referri à terra  
paulatim nebulam, ac in triremes rursus re-  
uertit, decidereq̄, visam. Alij imagines & simu-  
lacha affirmarunt ab Ægina apparuisse ar-*

Val. Max.  
lib. 1. c. 6,  
n. 2.

Plutarch.  
in The-  
mistocle.

⊙ 5

matorum